

videlicet nunc utimur, presentem litteram, appositione noui sigilli nostri approbauiimus iam secundo. Scriptum in Vilshovon anno domini MCCLXXVII quarto idus Decembris.\*)

**79. Herzog Heinrich vergleicht sich mit dem Hochstifte Passau über die seitherigen Irrungen.**

Passau am 15. Dezember 1262.

Heinricus dei gratia palatinus comes Reni, dux Bawarie, vniuersis hanc audituris paginam uel uisuris in perpetuum. In communem uenit noticiam, quam sit laudabiliter ordinata prouisio contra obliuionis et calumpniarum discrimina competenti remedio testium et scripture gesta principum perenni memorie commendari. Quapropter tenore presentium singulorum noticiis cupimus aperire, quod, cum longo hactenus tractu temporum inter *pataviensem ecclesiam* ipsiusque pontifices et rectores ex una parte nostrosque progenitores et nos ex altera diuersarum durauerit controuersia questionum, que ducta sepe in actus bellicos et discordes utriusque partis dampna non modica dinoscitur intulisse, inspirante domino, quo auctore ad uindictam malorum, laudem uero bonorum, nostri gerimus gubernaculum principatus, presidente quoque ipsi ecclesie domino *Ottone* venerabili episcopo, de communi consilio et consensu capituli ac ministerialium eiusdem ecclesie nostrorumque amicorum et fidelium consiliis et inductu prehabite deliberationis mature cum do-

\*) Das Reuter-Sigel ist stark beschädigt.

Abdrücke: Biblioth. h. Gött. p. 185 mit erheblichen Abweichungen; Mon. B. 29<sup>b</sup>, 524, wo das Sigel beschrieben ist.

Diese Urkunde war doppelt ausgefertigt, wie es scheint, da der Abdruck in der erwähnten Bibl. vielfach abweicht, doch ist nur mehr jenes Exemplar vorhanden, nach welchem der voranstehende Abdruck besorgt wurde.

mino episcopo et ecclesia memorata duraturam perpetuo concordiam contraximus in hunc modum, quod uidelicet nos et heredes nostri vna cum *Ludwico* fratre nostro germano, si pro eo duxerimus postulandum, a predicta ecclesia in feodo teneamus omnia, que bone memorie de *Pogen* et de *Ortenberch* comites et *palatinus*<sup>1)</sup> Bawarie ab eadem ecclesia feodi titulo possederunt, que et nos hactenus, preterquam in *Austria*, dinoscimur possedisse. Habebimus insuper eodem titulo comeциam inter fluuios *Rornach* et *Reginprukke* a superiori et *Nezelpach*, et *Vtilbach* ab inferiori parte distinctam. E conuerso quidem decimas in *Gnaetinge* et *Perin*<sup>2)</sup> ipsi patauiensi ecclesie restituimus absolutas, ac etiam decimas noualium in *Landawe* iure patronatus eiusdem parrochialis ecclesie in *Freimæringe*<sup>3)</sup> siue *Landawe* nostre ditioni perpetuo remanente. *Rotenberch* quoque cum suis pertinentiis libere dimittimus ipsi ecclesie patauiensi, et similiter *Sebach* cum suis attinentiis et quicquid iuris in pascuis et silva *Wetern* habuit ex antiquo, obligationem bonorum in *Ahalm- ing*,<sup>4)</sup> *Penzling*<sup>5)</sup> et *Gerhwis*<sup>6)</sup> pro ducentis marcis argenti quondam a supradicta ecclesia nobis factam spontanee relaxantes. Cedimus etiam iuri nostro castrensi in *Obern- perge*<sup>7)</sup> ac etiam infeodationi alterius duarum domuum in nouo foro *Patauie* sitarum, que *Wengarii* siue *Holzhaimerii* nuncupantur.<sup>8)</sup> Ad hec si quam patietur im- petitionem dominus episcopus aut ecclesia memorata ab heredibus comitis de *Ortenberch*, pro hiis bonis, que ad

1) Nämlich Rapoto aus dem Hause Ortenburg.

2) Gnaiding und Pöring im Ldg. Landau.

3) Das Pfarrdorf Framering im Ldg. Landau.

4—5) Aholming und Penzling im Ldg. Deggendorf.

6) Gergweis im Ldg. Landau.

7) Obernberg, im österr. Innkreise.

8) Wie man jetzt die Häuser numerirt, so bezeichnete man sie im Mittelalter durch die Namen ihrer Erbauer und ersten Besitzer, und sie blieben den Häusern gewöhnlich auch dann noch, wenn diese in andere Hände kamen.

nostram possessionem ex decessu progenitorum suorum sunt prefate infederationis titulo deuoluta, de tali imputatione ipsum episcopum et ecclesiam absoluemus. Item a bonis in *Helmbrechtschirchen*<sup>1)</sup> spectantibus plane cedimus, contra pertinentiarum ipsius detentores cooperaturi domino episcopo iusticia mediante. In prediis quoque ipsius episcopi preter antiqua iura, iudicium non exercemus nos uel nostri, de quibus iuribus, si contentio suborta fuerit, ad consilium utrimque trium uirorum terminabitur, adhibita conscientia uicinorum. Infra riuulos quippe *Stainpach* et *Marchpach* et ciuitatem patauiensem iudicio et aduocatia carebimus, alias uero in bonis capituli patauiensis et *Nicolitarum*<sup>2)</sup> iudicio et aduocatia nostra fruemur. Vtraque sane moneta, nostra uidelicet ac etiam ciuitatis prediecte absque impedimento partis alterius cursum debitum obtinebit. Ceterum tam episcopus idem quam capitulum et nos cassabimus et refutabimus instrumenta quelibet siue priuilegia obtenta olim ab alterutra partium contra alteram, puta de *Linza* et *Anaso* et consimilibus utrobique, et carebunt exnunc omni robore firmitatis. De uictualibus domini episcopi ac etiam capituli et conuentus dominarum patauiensium in terris et aquis nostris per Bawarium, nec muta nec thelonium requiretur, et hoc ipsum nobis obseruabitur in omnibus locis ecclesie supradicte. Demum si quis ex ministerialibus utriusque partis ex alterius familia uxorem duxerit, gratum utrimque tenebitur et proles inde nata equaliter diuidetur, ut primogenitus patrem sequatur ex iure pertinentie, unicus autem heres communis erit, et proles ex eo genita diuidetur, nec ob alternata huiusmodi coniugia carebunt iure sue proprietatis, uel feodi contrahentes hoc iure seruando de contractibus tam preteritis quam futuris. Ad quorum omnium perennem

obseruantiam iuramentis partium super altare beati Stephani prothomartiris confirmatam presentem litteram sigillo nostro placuit communiri cum testibus annotatis, qui sunt: Meingotus prepositus, *Poppo* decanus, *Otto* cantor et ceteri fratres eiusdem capituli, ex laicis uero Fridericus burkrauius de *Norenberch*, Albertus de *Hals*, Heinricus de *Rorbach*, Otto de *Frauenberch*, Heinricus de *Pföling*, Grimoldus de *Prising*, Heinricus de *Ror*, Wimarus *asinus*, Hartliebus de *Winzer*, Richkerus de *Ahaim*, Heinricus de *Harthaim*,<sup>1)</sup> Otto de Truna et alii quam plures. Actum Pataue anno incarnationis domini millesimo ducentesimo sexagesimo secundo XVIII kal. Januarii.\*)

1) S. Bd I, 141 Note 8.

2) Nämlich der Mönche des Kl. St. Nicola bei Passau.